& primo quid sint in formas & figuras explanare.
A. Figurae in mathematicis tribuuntur, utpote trigonum
vel tetragonum. Formae animalibus aut in quibus
formosos aliquos vel deformes asserimus. Item de
qualitatis genere: curvitas, rectitudo,
asperitas & lenitudo, raritas & densitas
inveniuntur. K. Si qualitas contrarietatem recipit?
A. Quaedam recipit & quaedam non recipit. Quis enim
dubitat salutem contrarium esse languorem,
iustitiae iniustitiam, malum bono? & contra
fusco vel pallido, triangulo vel tetragono
contrarium nihil est. K. Si minus aut magis recipit?
A. Nam magis album vel magis nigrum dicere
possumus, sed magis trigonum vel minus tri
gonum dici non potest. K. Sicut nunc haec universa
praedicta categoriae proprium aliquid per se sin
gulae habeant, velim exponas. A. Ha
bent. Nam usiae proprium est ut sit singularis
atque una numero & contraria in se suscipiat,
utpote homo singularis usia est atque unus
numeri & susceptibilis contrarietatis.